

d
c



17

(10)

Generalprüfung

f



AD
 AUDIENDAM ORATIUNCULAM
 DE
 RUDOLPHI II. IMPERATORIS
 SYMBOLO:
 OMNIA EX VOLUN-
 TATE DEI,

QVÆ
 SPECIMINIS VALEDICTORII
 LOCO

AD DIEM XXVIII. MAJI
 ANNO M. DC. XCI.

IN PRIMANORUM AUDITORIO
 RECITABITUR,

MAXIME REVERENDUM, AC NOBILISSIMOS

DOMINOS INSPECTORES,

ET OMNES,

QVOTQVOT LITERIS BENE
 CUPUNT;

OFFICIOSISSIME

INVITAT

M. ABRAHAM ZIEGKE,

RECT. TORG.



TORGÆ,

Typis JOHANN. ZACH. HEMPL.



Q. D. B. V.



Içet non defint inter Oratoriæ cultores, qvi ulti-
 mam Rhetorices partem Pronunciationem scili-
 cet, aut in nullo profus, aut in vili tamen ponunt
 pretio, qvorum errorem acutè fatis tangit Theo-
 dorus Dulmannus Lojolita, Artis Oratoriæ non
 imperitus Tract. de Orat. Christiano p. m. 97. seqq.
 Attamen qvanti momenti res fit, prudens vocis moderatio, &
 Orationi conformis gestuum decor, qvorum dirigendorum par-
 tes sibi sumit Pronunciatio, ipsa rerum magistra loquitur expe-
 rientia. Etenim sæpe numero usu venit, ut argumentum vulga-
 re ac ubivis obvium, nullò prætereà elegantium verborum habi-
 tu vestitum, avidis imbibamus auribus, ac eòdem mirificè dele-
 ctemur, cum tamen nihil illud nisi Pronunciationis dignitas
 commendet: Cum è contrario alium non rarò Oratorem, in pul-
 cherrimo occupatum argumento, cui ipsi etiam lectissimis ver-
 borum flosculis majorem conciliare gratiam anxius allaboravit,
 tristi aversemur odio, nihil sanè in universo Orationis decursu
 benevolis excipientes auribus, qvàm ultimum, qvò claudi so-
 lent sermones, Dixi; tantum ea de causa, qvòd dulci Pronuncia-
 tionis illecebrà Auditores innescare nescit. Et profectò aliter
 res evenire non potest: Siqvidem, si nihil aliud est Pronuncia-
 tio, latius sic dicta, & ipsam qvoqve Actionem vocabuli ambi-
 tu comprehendens, qvàm vocis gestuumqve pro rebus & verbis
 apta conformatio, utrumqve hoc, vocis nimirum decora mode-
 ratio & prudens gestuum nitor, dictionibus ac phrasibus qvan-
 dam qvasi vitam largitur, utrumq; hoc tantà demulcet suavitate,
 tantà movet efficaciam ambos illos audientium, qvibus in Orato-
 rem sunt intenti, sensus, aures scilicet & oculos, ut ipsi tandem
 animi, sensim capti, ac extra se velut positi, ex loquentis ore uni-
 cè pendeant, nec nisi invitati ab eodem avellantur. Tantum ecce
 juris in Auditorum oculos non tantum & aures, sed in ipsas qvoq;
 mentes apta exerit Pronunciatio! Ut non abs re dixisse videatur
 Græcorum Oratorum facilè Princeps Demosthenes, primas, se-
 cundas ac tertias Actioni & Pronunciationi esse tribuendas; &
 cujus supra est injecta mentio, Dulmannus, tantum non primas
 Pro-

245.

Pronunciationi in Oratoria deberi curas. Cæterum hæc nemo putet, eum in finem à me dici, ac si probare velim affectata illa vocum gestuumque monstra, quæ pariuntur à non nullis, dum, non contenti naturali vocis sonò, jam crassius illam, jam delicatius inflectere gestiunt, tentatâ quoque interdum stolidâ sibilandi dulcedine; aut dum, gestibus in agyrtarum varietatem compositis, jam insons pulfant pulpitem, jam brachia manusque tantâ projiciunt vehementiâ, ut, facti nunc ex Oratoribus pugiles, proximos quosque periculoso ictu petere videantur. Citatur apud Vossium Rhet. Cont. Lib. V. c. 8. p. 428. Exemplum Philisci, qui affectatâ vocis gestuumque varietate in tantum Antonii Imperatoris incurrebat odium, ut, licet arguto inveniendi acumine, accuratò disponendi artificiò, & eleganti Elocutionis dignitate paucis Oratorum esset secundus, solus tamen immunitate illâ, quâ cæteri gaudebant, haberetur indignus. Longè alia est decoræ Pronunciationis ratio. Hæc voce non utitur, nisi quam formavit Natura, quam ipsam tamen non tædiolâ deformat monotoniâ, sed pro rerum verborumque varietate, nunc deprimat nunc elevat, emphaticis præcipuè ἐμφατικῶς prolatis; & linguam præterea pro Commatum, ac Periodorum mensura nunc tardius, nunc citius incedere jubet. e.g. si floridum Mureti Stylum sectatur Orator, prudens Pronunciatio ad festinationem inclinât, ne prolixioris Periodi principium prius elabatur animò, quam remota succedat ἀποδοσις: Vicissim si Curtianò more breviter loquitur & sententiosa, tardior est Pronunciatio, velut meditandi spatium admiratoribus relictura. Vid. Weisius Præceptus noster honorat. Instit. Orat. Part. Spec. Cap. 2. p. 578. Hæc itidem gestibus non superbit, quibus se commendant Scenici, sed qui rebus ac verbis quandam quasi vitam largiuntur, præcipuè si vehementioribus Auditorum animi movendi sunt affectibus, tunc, prout res postulat, Oratoris vultus jam ad serenitatem sit compositus, jam tristitiæ nubibus iterum obductus; jam blanda facies nil nisi amoris ac favoris spargat radios, jam iterum irata in ipsis quoque oculis odii ostendat flammulas. Unò verbo, quem affectum in aliis moturus est, is ex ejus eluceat fronte, necessum est: Moti enim ipsi, movent maximè. Quod Melchioris Gœbelii Abbatis Bergensis de Oratoribus Ecclesiasticis est judicium Methodolog. Homil. Cap. XIV. §. 20. p. 407. Et eodem modo afficitur Auditor, quò Oratorem videt affectum, inquit Aristot. Lib. 3. Rhetor. Cap. 7. §. 7. Sunt affectus audientium quidam velut ignis, quem, si Oratoris ardet vultus, eorum animi concipiunt quam facillimè. Noverat hoc Robertus Licinensis homo Italus, Concionator vitæ pessimæ, sed miris

miris naturæ dotibus ad dicendum instructus, qui affectuosâ vocis ac gestuum varietate affectus Auditorum in sua velut potestate habebat, tristitiam enim aut commiserationem apud eos excitaturus, in fletum erumpere publicè tantâ efficaciâ, ut invitis etiâ extorqueret lacrymas. Vid. Gœbel. l. c. Sed iterum atqve iterum inculcandum hac in parte Oratori est per vulgatum illud: Ne quid nimis: Et ut omnia non Studiô & Arte composita, sed sponte suâ ex interiore dicentis affectu videantur nata.

Quæris, Amice Lector, unde hauriatur felicissimè prudens illa vocis gestuumqve moderatio? Non certè ex copioso regularum apparatu, quas plenis aliqui plaustris in conscriptos Rhetoricarum libellos invehunt; sed optimè hac in parte discipulis consulat Præceptor, si, institutis frequenter declamandi ac perorandi exercitiis, singulorum circa Pronunciationem & Actionem observaverit vitia, & eadem accuratâ postmodum censurâ emendaverit. Quod Rhetorum τὸ πᾶν Vossius innuit, dum post pauca de Pronunciatione Præcepta sub finem Rhetor. cont. inquit: Reliqua, quæ huc pertinent, exercitationi relinquimus; Ut cui plus hoc artificium debeat, quàm Præceptis. Et ista quidem dicentium correctio acerbis ac gravioribus verbis suscipienda non est, ne eorum animis, ad metumaliâs ut plurimum inclinantibus, major accedat timiditas; Sed blandè ac paternè his defungatur admonitionibus Præceptor, interspersis subinde aliarum rerum laudibus, quas inter dicendum meriti sunt, ut errores isti excusari potius, quàm vituperari videantur.

Quæ Perorandi exercitationes cum præter cæteras, quas passim exerunt, utilitates, tantum quoqve faciant ad Pronunciationem venustè formandam, non possum non quoniam in calculum meum addam laudabili, qui ab Antecessoribus nobis traditus est, mori, ut Alumni è Lycæo nostro discessuri, Valedictoriâ, quam vocant, Oratione tum gratitudinem Deo, Patronis ac Præceptoribus declarent; tum Doctrinæ ac Eruditionis hætenus haustæ, specimen edant; tum ultimâ tandem vice ex hac Cathedra dicentes, ipsâ etiam ostendant Pronunciationem, quales hætenus in Arte Oratoria fecerint progressus. Ac proinde, quoniam crastinâ (Deo dante) luce, post facta rite in vicino Templo antemeridiana sacra, solenni hæc consuetudine defuncturus est juvenis solers ac probæ indolis CHRISTIANUS CONRADI, Arensburgo-Livontis, qui per tres & quod excurrit annos in nostra Musarum Palæstra impiger desudavit, nunc verò aliquoties repetitô Parentum jussu in Academiam Lipsiensem totò orbe celeberrimam iter parat; eâ, quæ par est, Observantiâ à Vobis, honoratissimi Domini Scholarchæ ac Inspectores, & ab omnibus præterea, quorumcunq; inter est bonas Artes ac Lingvas in nostra hac Literarum & Virtutis Officina florere, contendo; velitis ad præstitutum tempus primum nostrum Auditorium honorificâ vestrâ dignari Præsentiam, & Oratori, de Rudolphi II. Imperatoris Symbolo: OMNIA EX VOLUNTATE DEI non tam dicenti, quàm balbutienti, benevolas præbere aures: Jejuna erunt, fateor, & Viris tantò Eruditionis apparatu affatim instructis minùs ad palatum, quæ discessurus propriò collegit ac elaboravit Marte: Sed cum Patres sitis & Nutritores Studiorum, cur Vobis possit esse tædio balbutiens etiam filiorum vox? Quod nos attinet, si aliâ re non licet, id tamen dabimus operam, ut solâ vobis placeamus brevitate. Valete! Dabam è Musæo Scholastico d. 27. Maji Anno M. DG. XCI.



78 M 437




TA → OL

kein Rest.

nur 51. Stk verwendet bisher

I

10/17



55

AD
AUDIENDAM ORATIUNCULAM
DE

RUDOLPHI II. IMPERATORIS

EMBOLO:

EX VOLUN-
TATE DEI,

QVÆ

VALEDICTORII
LOCO

M XXVIII. MAJI

M. DC. XCI.

ORUM AUDITORIO

MITABITUR,

ENDUM, AC NOBILISSIMOS

INSPECTORES,

OMNES,

IN LITERIS BENE

UPIUNT;

CIOSISSIME

INVITAT

HAM ZIEGKE,

ECT. TORG.



TORGÆ,

ANN. ZACH. HEMPL.

